

Aktam

De 3174

50052
353413

De 3474

DE
A C T A M O
PHILOSOPHO ARABICO,
PRAEFATVS,
AD ACTVM ORATORIVM
IN SCHOLA NICOLAITANA
AD D. XVI. IVLII H. A.
HORIS ANTEMERIDIANIS
CELEBRANDVM
INVITAT
I. I. REISK.E.



H. Thielke

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA





Cum in eo nuper essem ut monumenta Christianismi apud Arabas, eius quidem, qui Muhammedem antiquior ei que aequalis fuit, e Scriptorum Arabicorum copiolis qualibus cunque meis colligerem atque singulari libello complectenter: incidi in locum aliquem al Maidanii insignem, illum, vbi Aetami, iudicis, aut, si mauis, sapientis Arabici, perquam celebris, orationem eam refert, qua voluit suos ille gentiles, Tamimitas puta, ad dandum Muhammedi nomen, tum surgenti nouamque legem spargenti atque suis tribulibus commendanti, adhortari. Utitur ibi Actam inter alia argumenta etiam eo, quod a Christianorum quorundam, et in iis alicuius episcopi Nagiranensis, diuinatione dictum esset, quibus certo constitisset, futurum esse aliquando tempus, quo Muhammed, arabicus propheta, esset exstiturus. . Mouit me locus ille, quum decreuissent actui scholastico, quem his chartis indico, breui libello prolude re, eiusque angustiae non caperent amplitudinem illius argumenti, quod ab initio ei destinaueram, antiquitates puta Christianismi arabici, vt de Actamo, filio Saifii, Tamimita, celeberrimo Arabum seu iudice, seu sapiente, seu philosopho, commentarer, et hoc veluti specimen illi de nobiliore argumento tractationi, locum ampliorem poscenti, breui, si Deus sinat, insecurae, praemitterem.

Qui Actam qua vixerit aetate, iam dixi. Attigit nempe Muhammedem viuendo; sed multo tamen idem eo fuit antiquior, vt constat ex Ibn Doraidi **كتاب الاشتقاء** seu Lexico genealogico eodemque etymologico gentium virorumque et vocabulorum arabicorum; cuius haec sunt verba in recensione tribuum et virorum insignium ad Tamimatas

ومن بنى شريف أكتم بن صيفي
كان من حكماء العرب في الجاهلية
وأدرك النبي وأوصي قومه باتباعه وحضهم
علية لم يسلم ولا كلام كثير في الحكمة
وبلغ تسعين وسبعين سنة وهو الذي يقول ﴿

قد
ان أمراء عاش تسعين خمسة الى مائة لم
يسلام العيش جاهم

„Ad Schoraifitas pertinet Actam (vel Actam) filius Saifii, unus Sapientium, quos habuerunt Arabes aetate feritatis, ad aetatem Muhammedis peruenit, suisque gentilibus auctor fuit, ut eius legem amplectentur, eamque ad rem etiam atque etiam eos adhortatus est, quamquam ipse in veteri sua religione perseuerauit; multa edidit dicta sapientia, et ad aetatem centum et nonaginta annorum peruenit; et auctor est illius versiculi (qui de ipsius grandi senio testari potest:)”

Quem hominem centum et nonaginta natum annos vitae non taceat, ille stultus est. „

Conseruauic illam Actami orationem, qua Tamimitas suos ad partes Muhammedis amplectendas atque tuendas hortatus est, Meidanius in postrema parte Collectionis prouerbiarum arabicorum ab eo profectae; unde repetere iuuat, quo philosophi huius arabici specimen extet cum dictionis, tum animi. Affert nimurum al Meidanius ad prouerbium **وللشجي من الخل** *vae sollicito a vacuo curis,* id est, o quam multum abest anxius ab hilari, et quam miser est ille, si cum hoc comparetur, et quam solet tristis a laeto contemni atque irrideri: quod quodammodo cum nostro, *Wer den Schaden hat, darf für den Spott nicht sorgen:* conuenit: ad illud igitur prouerbium affert hanc interpretationem. Primum ait aliam a se traditam esse alio, quem indicat, loco huius proverbi expositionem: tum promittit atque profert aliam hanc ex auctoribus al Madaienita, et Mohammedi, filio Sellami, Gjamahita: qui affirment primum huius proverbii auctorem fuisse Actamum, filium Saifii, Tamimitam, idque hac occasione:

أول من قال ذلك أكتم بن صيفي النبي وكأن

من

من حديثه، انه لما ظهر النبي بمكة ودعا إلى الإسلام، بعث
أكثم ابنه حبشا، فاتاه بخبره، فجتمعبني تميم وقال يا
بني تميم لا تحضروني سفيها فان من يسمع يدخل
أن السفية يوهن من قوته، ويثبت من دونه لا خير
فيمن لا عقل له كبرت سني، ودخلتني فلة فان
رأيتم مني حسنا، فاقبلوه، وإن رأيتم مني غير ذلك، فقوموني
استغفم فان النبي شافه هذا الرجل مشافهة، فاتاني
خبره، وكتابه يامس بالمعروف وينهي عن المنكر ويأخذ
فيها بمحاسن الأخلاق ويدعو إلى توحيد الله وخلع الوتان
وتركت الحلف بالنبيين وقد عرف ندو الرأي منكم أن
الفضل فيما يدعوا إليه، وإن الرأي ترك ما ينهى عنه، وإن
أحق الناس بمعونة محمد ومساعدته على أمره أنتم، فان
يكن الذي يدعوا إليه حقا، فهو لكم دون الناس، وإن يكن
باطلا، كنتم أحق الناس بالكاف عنده، والستر عليه وقد
كان لسقف نجران يحدث بصفته، وكان سفيان بن
مجاشع يحدث به قبله وسيء ابنه محمد فكونوا في
أمره أولا، ولا تكونوا آخر فلينروا طاييعين قبل ان تأتوا
كارهين، ان الذي يدعوا إليه محمد لو لم يكن بينا لها
كان في أخلاق الناس حسنا طبيعون واتبعوا أمره *
أسأل لكم أشياء لم تترعرع منكم أبدا * واصحتم اعز حي
في العرب، وأكثركم عذرا، وأوسعهم رأرا فلاني ارب
أمر لا يجتنبه عزيز إلا نل، ولا يلزمه ذليل إلا عز فان الأول
لا يمنع للآخر شيئا، وهذا أمر له ما بعده، من سبق إليه غمر
الغالب واقتدي به النال فوالعزيز حرم والختلف عجز

A 3

فقال

فقال مالك بن نويرة قد خرف شيخكم ف قال أكثُم ويل
للسجى من الخلٰي ولهمي يعْلَم أصر لم أشهٰد ولم يسبقي *

„Quum in conspectum famamque hominum prodiret Muhammed, apud Maccam, et suos ad legem Islamicam acceptandam inuitaret, mittebat Actam filium suum, Hobaischum, illuc, quo, quid eius rei eset, coram cognosceret, et de Muhammede certa ad se referret. Quo facto, conuocatos ad se Tamimitas hac oratione appellauit. O Tamimitae, nolim vos stulto audiendi consilio ad me conuenisse, sed eo, quo auditorem dicenti vacare oportet. Oportet autem auditorem ita oratori aurem praebere, vt, cuius animus omnino vacuus, nullamque in partem occupatus sit. Cuiusmodi homo stultus non est. *Stultus enim quae suis viribus superiora audit, ea falsa iactari autumat, fidemque illicis negat; ea sola pro certis et veris admittit, quae infra captum modulumque suum intelligit esse.* Nulli autem rei utilis est ille, cui sapientia desit. Senex sum; quo factum vt stupor et fatuitas quaedam senilis me incesserit. Quod si ergo in me aliquid quod probetis, comprehendatis et ex me audiatis, velim id a vobis approbari atque admitti; quod si autem secus eueniat, velim a vobis corrigi. Habebitis me quidem admonitioni atque correctioni facile parentem. Locutus igitur et versatus est propheta (Muhammed) cum hoc viro (Hobaischo, filio meo, quem spectatis.) Retulit hic ad me de illo. Cognoui librum eius (Alcoranum) praecipere honesta omnia, et improbare turpia atque inhonesta; eoque instituto sequi hoc, vt morum bonorum semina in gente sua spargat; adhortari ad vnius dei professionem, dissuadere cultum idolorum, et *sacramentum, quod adhuc per ignes fieri consuevit.* Iam norunt certique sunt, quotquot vestrum prudentia polent, praestare illud, ad quod Muhammed vos impellat, et sapientiam cum detestatione earum rerum, quas ille vetet, coniunctam esse, neminemque esse, cui magis, quam vobis, conueniat Muhammedi succurrere, eumque tueri. Nam si vera et probanda vobis offert, estis, Tamimitae, quae est vestra praestantia, digni, qui primi omnium hominum ea sequamini: quod si autem vana sunt et falsa, neminem magis, quam vos, decet, eorum auctorem protegere, et ab eo iniurias vestras retinere. Iam dudum episcopus Nagiranae de eo praedicauit; et dudum ante illum episcopum, Sofian quoque filius Magjaschei, qui etiam *filio suo nomen Muhammedis imposuit.* Quare suadeo vt primi ad eius causam partesque accedatis, neque patiamini, vt postremi. Accedite

cedite vltro et volentes, antequam inuiti accedatis. *Si legitimum et religiosum non esset id, ad quod vos Muhammed inuitat, non eiusmodi decus conciliaret moribus.* Obtemperate mihi; impero enim vobis ea, quae nunquam vobis eripi poterunt; et per quae sietis tribus omnium arabicarum potentissima, et numerosissima et sedium amplitudine spatiofissima. Agnosco enim hanc esse huius caussae rationem, vt nemo unquam, quamuis potens et illustris, ab ea abhorruerit, quin ad vilitatem et contemptum deciderit; et contra nemo, quamuis debilis et ignobilis, eam sit amplexus, quin ad splendorem et nobilitatem emerserit. Quisquis prior hanc gloriam occupat, totam habet: qui hanc palmam rapit, *omnis certaminis victorem quemcunque primarium vincit*, et habet imitatores sui secundae palmae victores. In cautione sita est prudentia, discordia autem debilitatem parit. Quibus auditis *Malec filius Nowairab*, delirat, ait, senex et magister vester. Cui respondit Aetam: Vae sollicito prae incurio; et me miserum, quod carere debo re illa, cui neque interero, neque mea aetate habeo vetustiorem. ,,

Hactenus al Maidanii verba, in quibus insunt nonnulla, illustrationis indigentia. Illa sententia: *fultus, quae suis viribus superiora audit* - - - est plane eadem, atque illa celebrata Thucydidis, l. 2, c. 35. quam expressit Sallustius B. Cat. c. 3. illis verbis, *quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit; supra ea, veluti ficta, pro falsis putat*, vbi interpretes et fontem sententiae, locum illum Thucydidis, et riuum Demosthenis ex eo ductum exposuerunt. *Sacramentum ab Arabibus per ignes fieri solitum dubito quid designet*; moremne Arabum iurandi per ignes, nescio quos, superstitiones, quorum plures habuerunt, quos persecutus est Nuwairius peculiari capite Bibliothecae suae; an per ignem illum, quem Persae colebant diuinis honoribus. Facile profecto fieri potuit, vt Arabes illi, qui Persarum in castris militarent, a Persarum contubernio contraherent morem per ignem iurandi. Et ipsi Tamimitae feruntur magicae religioni addicti fuisse. Quum denique dicitur Aetam vt mirum et insolens asserre de Sofiano, quod ille *suum filium Muhammedis nomine appellarat*; hoc eo pertinet, et ex eo lucem accipit, quod nomen Muhammedis ante Muhammedem, prophetam arabicum, natum, fuerit infrequentissimum, et eo antiquiores in tota gente arabica non memorentur nisi quatuor Muhammedes dicti. Sententia illa: *Si legitimum et religiosum non esset illud disciplinae genus, quod Muhammed vobis commendat, non eiusmodi decus conciliaret moribus:* videtur argumentum praebere velle veritatis, quam Aetam inesse legi Muhammedis affirmet, ductum ex emendatione mo-
rum

rum ab illa lege inuecta. Quod denique affert e palaestra arabica, -de victore palmae primae et secundae, intelligi debet ex more Arabum conieci sagittarum et pilorum ad metam fixam certandi, quo in genere certaminis qui primas ferret **الغالى** dicebatur, qui secundas **التالي** De Maleco, filio Nowairah, denique tenendum hoc, eum principem Tamimitarum tum fuisse, et crudeli morte periisse, perentum a Chaledo filio Walidi, paullo post mortem Muhammedis.

Multas habet illius ipsius Actami sententias idem Meidanus per opus suum Prouerbiorum sparsas; multas item Zamachscharius in *Rabbiol Abrari*, quas longum hic esset persequi: mihi pro modulo huius breuis scriptionis sufficiat adhuc illud celebre Actami testamentum afferre, seu potius cinnum monitorum sapientium, quem veluti fructum suae doctrinae Actam ad Thaitas misisse dicitur. Habet idem Meidanensis sub litera Lam, in expositione illius proverbiis *non perit vir, cuius pretium intelligitur*, quae expositio sic habet.

أول من قال ذلك أكثم بن صيفي في
 وصيته كتب بها ألي طي كتب اليهم : أوصيكم بتنفوي
 الله تعالى وصلة الرحم : وأياكم وزناح الحقيقة، فان
 زناها غير ولدتها ضياع : وعليكم بالخيل فاكروها،
 فانها حصنون العرب : ولا تضعوا رقاب الابل في غير
 حقها، فان فيها ثمينة الكريمة ورقى الدم، وبالبانها يتحف
 الكبير ويغذى الصغير : لى ان الابل كلقت الطحن
 لطحتن : ولن يهلك امرؤ يعرف قدره : وانعدم عدم
 العقل، لا عدم المال ولرجل خير من ألف رجل * ومن عتب
 على الدهر لطالع معتبرته * ومن رضي بالقسم طابت
 معيشته * وافقة الرأي الهوبي * والعادة املوك * وال الحاجة مع
 المحبة خير من المغضبة مع الغني * والدنيا دoul، فما كان
 لك أتاكي يعل ضعفك، وما كان عليك لم تدفعه بقوتك *
 الحسد داء ليس له دواء * والشماتة تعقب * ومن يس
 يوما

يُوْمَا يَرِبَّهُ وَقَبْلِ الرِّمَاءِ قِيلَاءُ الْكَنَائِينِ فِي النَّدَامَةِ مَعَ السَّفَاهَةِ دِعَامَةِ الْعُقْلِ هُوَ الْحَلْمُ خَيْرُ الْأَصْوَمِ هُوَ مَعْنَىُ الصَّبَرِ بِقَاءِ الْمَوْءُودِ هُوَ مَنْ يَنْزَرُ غَيْرَ حَيَا هُوَ التَّنْفِرِيُّتُ مَفْتَاحُ الْبُوسِ هُوَ مِنَ التَّوَافِيِّ وَالْعَجَزِ نَتْجَعَنُ الْهَلَكَةَ هُوَ لِكُلِّ شَيْءٍ ضَرَوْرَةٌ، فَضَرَرَ لِسَانَكَ بِالْخَيْرِ هُوَ عَيْ الصَّيْتِ أَحْسَنُ مَنْ عَيْ الْمَنْطَقَ هُوَ الْحَزْمُ حَفْظُ مَا كَلَفْتُ وَتَرَكَ مَا كَغْفِيتُ هُوَ كَثِيرُ التَّنْصُحِ يَهْجُمُ عَلَيْهِ كَثِيرُ الظَّنَّةِ هُوَ مِنَ الْحَفْ في الْمِسَالَةِ تَقْلِيَّهُ هُوَ مِنْ سَالِ فَوْقِ قَدْمَهُ أَسْتَحْقُ الْحَرْمَانَ هُوَ الرَّفْقُ يَمِنُ وَالْخَرْقُ شَوْمُ هُوَ خَيْرُ السَّخَاءِ مَا وَأَفْقُ الْحَاجَةَ هُوَ خَيْرُ الْعَفْوِ مَا كَانَ بَعْدَ الْقَدْمَةِ هُوَ فَهْدَهُ خَمْسَةُ وَذَلِكُونَ مِنْ لَذَّنِ عَلَيْهِ ذَنْطَامُ وَاحِدٍ

„Primus hanc sententiam edidit Actam in illa praceptione, quam ad Thaiitas misit his verbis: Commendo vobis reuerentiam dei et pietatem erga vestros gentiles, contra cauere vos iubeo ne cum foeminis stultis coniugium ineatis. nam eiusmodi coniugium est magnis discriminibus obnoxium, et liberi sic nati pro perditis habendi. Magno in honore habete equos. sunt enim arces Arabum. neque inutiliter et incongruo loco prodigite camelos. nam in iis est pretium, quo foemina nobilis elocatur, et sanguis effusus placatur, eiusque vltio sistitur; et lac earum offertur hospitalis coenae loco magnis (hoc est, aut adulatis, aut honoratis viris) et alimentum est parui (seu puerorum.) et tam patiens laborum est hoc animal, vt si iuberetur pistrinum exercere, facturum esset. Non perit vir, cuius virtus agnoscitur. Inops est, non ille, cui defunt opes, sed cuius mens sapientia caret. Vir unus saepe mille aliis praestat. Qui de saeculo (aut fortuna) queritur, querela eius longa (et infinita) est. Qui acquiescit sorti suae, suis ei est vita sua. Pestis prudentiae est libido. Maximam vim haber consuetudo. Indigentia cum amore rei coniuncta melior est quam abundantia cum odio. Res humanae gaudent vicissitudinibus. Quod bonum tibi (fataliter aut diuinitus) decretum sit, illud tibi certo veniet, neque morabitur id tua debilitas: et quod malum tibi sit impositum et scriptum, illud non depelles omni tua potentia. Inuidia est morbus, cui non est medela. Gloratio de malis aliorum malum fortitur exitum et fletus ciet. Qui videt diem, videtur in eo. (forfitan vult dicere, qui magna sunt in fortuna et illustri loco positi, notantur illi prae aliis hominum oculis atque iudiciis. aut qui luctum et aduersam aliorum for-

tunam vident ridentque, in iis ipsis rursus alii videbunt et ridebunt similem.) Ante ingressum certaminis iaculatorii oportet pharetras sagittis implere. Poenitentia cum stultitia coniuncta est columna sapientiae. Mansuetudo est res praestantissima. *) patientiae est vita amicitiae. Quo quis rarius ad amicum inuisit, eo acceptior ipsi est. Discordia est clavis infelicitatis. E pigritia et stupiditate atque timiditate nascitur exitium. Omnis res postulat exercitationem, ergo condocefac vsu linguam tuam benedicere. Infantia taciturnitatis melior est quam infantia garrulitatis. Prudentia, aut constantia, ea est, si fortiter teneas et bene geras, quod mandatum tibi sit, et omittas id, quod ad te non pertineat. Nimia sedulitas in monendo, et odiosa sinceritatis ingestio concitat suspicções contra se. Qui nimis vrget et conuitio postulat, quae petit, ille molestus fit. Qui postulat supra meritum et vires suas, ille dignus est cui negetur. Lenitas est felicitas: asperitas autem infelicitas. Optima ea est liberalitas, quae indigentiae respondet. Optime tum ignoratur, quum vlcisci possis. Hae sunt triginta quinque sententiae, quas una serie proponere placuit.,,

Hactenus al Maidanius. Quas sententias quum lego, subit animum recordatio simillium gnōmarum Salomonis et septem Graeciae sapientium a Diogene Laertio L. I. et Stobaeo relatarum. Refertus est eo genere liber al Maidanii, promtuarium linguae et sapientiae Arabicae, et flos Musae Arabicae, cum grauis tum iocosae. Forte dabitur adspirante deo, vt plura inde aliquando expromamus. Superest vnuis insignis eius locus, ad Actamum hunc quoque ille pertinens, quo recenset Hakemos, hoc est sapientes, aut philosophos, aut iudices (nam perinde est) qui penes Arabas in quaque tribu ante Muhammedem, aut eius aetate, celebres fuerunt. Quo loco recitando, videbor mihi breuem dare indiculum doctorum hominum antiquitatis arabicae. Habet autem sic.

كانت حکام تبیم في الجاهلية أکثم بن صبغي، وحاجب
بن نزارة و الأقرع بن حابس، و زبعة بن مخاشن،
و ضمرة بن ضمرة * غير أن ضمرة حکم فاخد الرشوة فغلب
و حکام قيس، عمر بن الأضربي، و غيلان بن سلیمة التميمي
و كانت

Bibliothek der
Deutschen
Morgenländischen
Gesellschaft

* In arabico est vocabulum corruptum مُعْدَّى quod in ipso codice Leidano ab eius librario tribus punctis superimpositis, sunt eae vitii notae, notatum erat, neque succurrit, qui debeat emendari. patet tamen sententiam postulare vocabulum كثرة multitudo. verum illud a vestigiis literarum nimium abit.

و كانت له ثلاثة أيام، يوم يحكم فيه بين الناس، و يوم ينشد فيه شعرة، و يوم ينظر فيه إلى جماله، و جاء الإسلام، و عند ذلك عشرة نسوة، فخيرة النبي، فاختار أربعاً، فصادرت سنة ◎ و حكم قريش، عبد المطلب، و أبو طالب والعاص بن وائل ◎ و حكيمات العرب صخر بنت لقمان و بنت خسر، و جمعة بنت حابس، و ابنة عامر بن الظريب الذي يقال له ذو الحلم

„Judices Tamimitarum in saeculo feritatis fuerunt: Aṣṭam, filius Saifii, tum Hagjeb, filius Zararah; deinde al Aṣra, filius Habesi, porro Rabiah, filius Mochascheni, et tandem Dhamrah, patri cognominis; sed hic Dhāmrah in reddendis iudicis fidem violauit et ius, donis corruptus. Judices Caṣītarum fuerunt Amru, filius Dharebi, et Gailan, filius Salamah Tsacafita. Erat huic mos negotia per dies ita partiri, vt alternis vno die praesideret ad iudicandum, altero carmina sua coe-tui recitaret, tertio camelos suos inspiceret (seu, vt nos dicere sole-mus, vno die rem ciuilem gereret, altero studiis literarum operam da-ret, tertio rem domesticam curaret.) Quem penes vxores cum essent decem, propheta optionem ei dedit, quot earum seruare vellet, quum omnes per nouam legem nequiret. incidit enim Gailan in aetatem legis huius latae. Seruauit tum quatuor. Et ex eo natus mos et lex qua-tuor legitimas vxores alendi. Coraischitarum iudices fuerunt Abdol Mothalib, et Abu Thaleb, et al As, filius Wajeli. Foeminae Ara-bislæ, quae iudicūm personam reddendis sententiis sustinuerunt, sunt haec: Sachr, filia Locmani; tum *) filia Chasri; deinde Gjamaah, filia Habesi, et tandem filia Ameri, filii Dharebi, illius, qui cognomen Man-sueti adeptus est. „

Possem hic alia multa ex Ibn Gjuzii Mirat oz Zamani seu speculo temporum (ea historia voluminosa est) de hoc Aṣṭamo afferre; quae omittam: sed hoc tamen vnum omittere nequeo, illo auctore, Aṣṭamum in itinere Meccam suscepito, siti periisse, anno aetatis ducentesimo et sexto post quinquagesimum; scelere filii, Hobaifchi, qui cum non potuisset disuadendo patrem ab illo itinere et a studio partium Muhammedis auertere: (nam illud iter eo ingressum esse Aṣṭamum vt cum Muhammede congrederetur, eiusque legem coram ipso publice profiteretur:) stricto gladio iugulasset camelos et vtres aquarios per-tudisset, vt aqua efflueret; eoque facto fuga se proripiisset patremque

B 2

horren-

*) Hic erat spatium vacuum in codice Leidano relictum pro nomine supplendo.

horrendae morti permisisset. Sed patrem, cum saluti, nullam viam videret, suasisse comitibus, ut quaqua possent, saluti suae consulerent, ad eos edidisse testimonium de suo erga legem Muhammedanam beneuolo animo, hortatumque ipsos esse, ut testarentur sibi exstincto, in professione fidei Islamicae se periisse. Negare quidem Ibn Cotaibah in in Kitabal Maarefi, Actamum Islamismo nomen vnquam dedisse. Sed eum planissime errorem esse, et existare traditionem, quae velit, eum significari illa Alcorani sententia, quae paradisum ei promittat, من يخرج من بيته مجازاً إلى الله ورسوله qui domo exeat, quo receptum habeat ad deum eiusque legatum. Verba ipsa arabica Ibn Gjuzii, quae nunc spatii angustiis exclusus omittere debeo, forsitan potero alio tempore recitare.

Sufficient interim haec hoc tempore pro instituto nostro. Nunc id agemus, cuius causâ scriptioñem hanc suscepimus, ut indicemus literarum et Scholae nostrae amicis, alumnos quosdam disciplinae nostrae decreuisse, die XVI. Iulii horis matutinis ab octaua in auditorio maiore ad dicendum prodire, suaque qualisunque in dicendo facultatis documentum edere. Sunt hi, duo primi ordinis. GEORGE HARTMANN IAHN, Lipsiensis, oratione latina increpaturus eorum leuitatem, qui multi sunt, qui luci magistrorum munus et vitae genus contemnere et ridere soleant; quod sit in honestissimis et vitae utilissimis maximeque necessariis. Alter FRIDERICVS GOTTLÖB BORN, item Lipsiensis, oratione germanica argumentum et historiam carminis Popiani celeberrimi exponet, quo de hominis fine, officiis, felicitate agitur. E classe secunda item duo. Vnus IO. FRIDERICH GOLD-SCHAD, Leisnicensis, carmine latino elegiaco laudes Musicae artis canet. Alter IOANNES CHRISTIANVS ANDREAS NICOLAI, Muhlingenensis Anhaltinus, post illum oratione rursus germanica refellet eorum errorem, qui typographiae inuentionem generi humano plus utilitatis attulisse putant, quam Indiarum. Denique CHRISTIAN GOTTLIEB ZWEYMANN, Lipsiensis, carmine germanico Rectori anniversariam accessus ad scholam gratulabitur, eodemque carmine petet ab eo, nomine totius Scholae, veniam, ferias caniculares pro more agendi. Ipse actum hunc breui oratione exordiar, qua planum faciam, ignaros quosdam linguae nobis patriae, eosdemque eius osores, vehementer in eo errare atque iniurios in eam esse, quod barbarem appellant. Cui exercitationi Scholasticae ut frequentes et benigni adesse velint literarum et nostrum amantes, etiam atque etiam rogamus. Scr. Lipsiae ineunte Iulio MDCCCLIX.



D: De 3174



